Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2557
Quelle:
Copyright:

rum comprecationum ad opem divinam contra *Turcas* impetrandam praescribit.

XI. *fol.* 205. Statuta *Guidonis* ex Abbate Generali Ord. *Cisterc.* Cardinalis *S. Laurentii in Lucina*, viri multis legationibus functi et anno 1272. demortui condita in Synodo *Vindobonensi* anno 1267. hac inscriptione miniata: *Instituciones Domini Gwidonis Cardinalis et cetera.* Incipiunt: *Frater gwido dei gratia Tytuli sancti laurencij in lucina presbiter Cardinalis ad perpetuam rei memoriam. Postquam deus formavit hominem ad ymaginem et similitudinem suam et in etate virili* &c. Edidit haec Statuta praemissa, ut solet, erudita disquisitione *Lambecius* ὁ πανυ post *Lazium*, *Henr. Canisium*, et *Binium* L. II. *Comment.* c. 3. p. 61. atque inde evulsa *Kollarius* T. I. *Analect.* p. 1. repraesentavit. *Job. Harduinus Concc.* T. VII. p. 579. *Nic. Coletius* T. XIV. p. 360. et *Harzhemius* T. III. p. 632. ea *Lambecio* debent, qui e gemino *Cod.* membraneo Bibl. Augustae, de quibus suo loco dicemus, eruerat, chartaceo nostro non indicato, cujus hic est terminus: *Acta sunt hec Wienne Anno domini M° CC° LXVII°. mense maij pontificatus clementis pape quarti anno III°.*

XII. *fol.* 207. p. 2. *Hec sunt statuta Domini fridrici Archiepiscopi Salczburgen. edita Anno domini M°. CC°. LXXIV°. mense nouembri.* Initium: *Ad honorem et gloriam sponse christi et fidei christiane Nos dei gratia Fridericus Sancte Salzburgen. ecclesie Archiepiscopus apostolice sedis legatus M°.* (Leo) *P.* (Petrus) *D.* (Bruno) *Yo.* (Bernhardus) *Jo. Ratisp. Patauien. Briczon.* (Brixin.) *Seccouien. et Chyemen. Ecclesiarum episcopi* &c. Leguntur haec *Statuta* in *Collect. Labb.* edit. *Paris.* T. XI. P. 1. p. 998. *Venet.* T. XIV. p. 545. *Harduini* T. VII. p. 721. *Harzhemii* T. III. p. 639. Quantum in his a praesenti *Cod.* differant, jam expedivit *Hansizius Germ. sacrae* T. II. p. 378. qui tamen *Codicem* non *Jur. Can.* sed *Theologicum* dicere debebat, et subscriptionem miniatam sic repraesentare: *Finis constitucionis concilij prouincialis Salczburgen. celebrati Anno domini M° CCC°* (lege CC°) *LXXIIII° Judicis II°* (l. Indict. II.) *kl. nouembris.* Vides Librarium nostrum saepius dormitasse.

XIII. *fol.* 210. p. 2. rubro: *Hec sunt instituta venerabilis domini fridrici Archiepiscopi Salczburgen. ecclesie apostolice. se. le. Instituta in prouinciali concilio Salczburgen. A° domini M° CC° LXXXI°.* Occasionem hujus Concilii et *Summaria* XVIII. ejus Decretorum enarrat *Hansizius* p. 390. *Codicis* tamen nostri non meminit. Incipit hic: *Cum instancia nostra cottidiana esse debeat sollicitudo ecclesiarum nobis commissarum Ideo ad laudem et gloriam domini nostri Ihesu christi qui est omnium bonorum firmamentum Nos fridricus dei gratia Sancte Salczburgen. archiepiscopus A. se. le.*